

C. PLINIUS CAECILIVS SECUNDVS [61-112 post Chr.] EPISTVLAE

C. PLINIUS CORNELIO TACITO SUO S.

1 Ridebis, et licet rideas. Ego, ille quem **nosti**, apros tres et quidem pulcherrimos cepi. ‘Ipse?’ **inquis**. Ipse; non tamen ut omnino ab inertia mea et quiete discederem. Ad retia sedebam; erat in proximo non **venabulum** aut lancea, sed stilus et **pugillares**; meditabar aliquid **enotabamque**, ut si manus vacuas, plenas tamen ceras reportarem. 2 Non est quod **contemnas** hoc studendi genus; mirum est **ut** animus agitatione motuque corporis **excitetur**; iam **undique** silvae et solitudo ipsumque illud silentium quod **venationi** datur, magna cogitationis incitamenta sunt. 3 **Proinde** cum **venabere**, licebit **auctore** me ut **panarium** et **lagunculam** sic etiam pugillares feras: experieris non Dianam magis montibus quam Minervam **inerrare**. Vale. [I, 6]

C. PLINIUS FABIO IUSTO SUO S.

1 **Olim** mihi nullas epistulas mittis. Nihil est, inquis, quod scribam. At hoc ipsum scribe, nihil esse quod scribas, vel solum illud unde incipere priores solebant: ‘Si vales, bene est; ego valeo.’ 2 Hoc mihi sufficit; est enim maximum. Ludere me putas? serio peto. Fac sciam quid agas, quod sine sollicitudine summa nescire non possum. Vale. [I, 11]

C. PLINIUS SEPTICIO CLARO SUO S.

1 Heus tu! Promittis ad cenam, nec venis? **Dicitur ius**: ad **assem impendium reddes**, nec id modicum. 2 Paratae erant **lactucae singulae**, **cochleae ternae**, **ova bina**, **halica** cum **mulso** et **nive** — nam hanc quoque **computabis**, immo hanc in primis quae **perit** in ferculo, **olivae betacei cucurbitae bulbi**, alia mille non minus **lauta**. Audisses **comoedos** vel **lectorem** vel **lyristen** vel — quae mea **liberalitas** — omnes. 3 At



lactuca, -ae, f.



cochlea, -ae, f.



ovum, -i, n



alica (halica),
-ae, f.



mulsum, -i, n.



nix, nivis, f.

Nosti: novisti

Inquis: dicis, non rogas

Venabulum, -i, n.: lancea. Telum antiquum, longum et tenue cum capite acutissimo

Pugillares, -ium, m.: libelli, ex tabulis ceratis compositi, ad scribendum usurpabantur

Enoto, -are: aliquid memorabile in libello vel charta scribere

Contemno, -ere: aliquid minime aestimo

Ut: quam, quomodo

Excito, -are: provoco, irrito

Undique: ubicumque

Venatio, -onis, f.: animalia saeva vel aves (ut aquilas) persequi et captare

Proinde: igitur, ideo

Venabere: venaberis (venor, -are, -atus) cf. “venatio”, *vide supra*

Auctor, -oris, m.: qui aliquid promovet

Panarium, -i, n.: quod panes continet ad circumferendum

Laguncula, -ae, f.: in qua liquidum continetur

Inerro, -are: huc illuc sine loco destinato ambulare

Olim: iam tempus praeteritum multum



lyristes,
-ae, m.

Ius dicere: Sententiam pronuntiare

As, assis, m.: pecunia, nummus

Impendium, -i, n.: sumptus, impensa. Pecuniae quas damus ut aliquid recipiamus.

Reddo, -ere, redidi, reditum: solvo, do pecuniam ut debeo.

Singulae: una ad unum quemque

Binae: duae ad unum quemque

Ternae: tres ad unum quemque

Computo, -are: numero; aestimo

Perit (pereo): evanesco

Lautus, -a, -um: splendidus; gloriosus

Comoedus, -i, m.: comicus (-i, m.), qui spectaculum facit comicum

Lector, -oris, m.: qui legit voce alta

Liberalitas, -atis, f.: largitas, bonitas, benignitas

Gaditana, -ae, f.: saltatrix hispana; puella (hispana) quae



oliva, -ae, f.



betaceus,
-i, m.



bulbus, -i, m.



ostrea, -ae, f.



vulva, -ae, f.



echinus, -i, m

tu apud nescio quem **ostrea vulvas echinos Gaditanas maluisti**. Dabis **poenas**, non dico quas. Dure fecisti: **invidisti**, nescio an tibi, certe mihi, sed tamen et tibi. Quantum nos lusissemus risissemus studuissemus! 4 Potes **apparatus** cenare apud multos, nusquam hilarius simplicius **incautius**. In summa experire, et nisi postea te aliis **potius** excusaveris, mihi semper excusa. Vale. [I, 15]

C. PLINIUS AVITO SUO S.

1 Longum est **altius** repetere nec **refert**, **quemadmodum acciderit**, ut homo minime familiaris cenarem apud quendam, ut sibi videbatur, **lautum** et diligentem, ut mihi, **sordidum** simul et **sumptuosum**. 2 Nam sibi et paucis opima quaedam, ceteris vilia et minuta ponebat. Vinum etiam parvulis lagunculis in tria genera discriperat, non ut **potestas** eligendi, sed ne ius esset **recusandi**, aliud sibi et nobis, aliud minoribus amicis - nam gradatim amicos habet, aliud suis nostrisque **libertis**. 3 **Animadvertit** qui mihi proximus recumbebat, et an probarem interrogavit. Negavi. 'Tu ergo' inquit 'quam **consuetudinem** sequeris?' 'Eadem omnibus pono; ad cenam enim, non ad **notam** invito cunctisque rebus exaequo, quos mensa et **toro aequavi**.' 4 'Etiamne libertos?' 'Etiam; **convictores** enim tunc, non libertos **puto**.' Et ille: 'Magno tibi **constat**.' 'Minime.' 'Qui fieri potest?' 'Quia **scilicet** liberti mei non idem quod ego bibunt, sed idem ego quod liberti.' 5 Et hercule si **gulae temperes**, non est **onerosum** quo utaris ipse **communicare** cum pluribus. Illa ergo reprimenda, illa quasi in ordinem **redigenda** est, si sumptibus **parcas**, quibus **aliquanto** rectius tua **continentia** quam aliena **contumelia consulas**.

6 **Quorsus** haec? ne tibi, optimae **indolis** iuveni, quorundam in mensa luxuria **specie frugalitatis** imponat. **Convenit** autem amori in te meo, **quotiens** tale aliquid inciderit, sub exemplo **praemonere**, quid debeas fugere. 7 Igitur memento nihil magis esse vitandum quam istam luxuriae et **sordium** novam societatem; quae cum sint turpissima discreta ac separata, turpius **iunguntur**. Vale. [II, 6]

ad musicam saltat
Malo, malle, malui: magis volo; praeferro
Poena, -ae, f.: punitio, mulcta
Invideo, -ere: iniuste facio
Apparatus: amplius magnifice; splendidus
Incautius: sine cautione; libere facere et dicere non timeo
Potius: (comp.) magis praefereenter

Altius: magis profunde; magis accurate
Refert: alicuius inter est; ad aliquem pertinet
Quemadmodum: quem ad modum: quomodo
Accidit: evenit; fiat
Lautus, -a, -um: *vide supra*
Sordidus, -a, -um: non lautus sed turpis, obscenus
Sumptuosus, -a, -um: homo prodigus, qui pecunias consumat multas plurimas
Potestas, -atis, f.: facultas
Recusandus, -a, -um: ex verbo: "recuso, -are, -avi, atum": nego
Libertis: non liberis. Libertus, -i, m., olim servus famulus erat, nunc vero liberatus est.
Animadverto, -ere, -ti, -sum: noto, -are; observo, -are
Consuetudo, -inis, f.: mores, usus, institutum
Nota, -ae, f.: macula; dedecus, infamia
Torus, -i, m: vel "torum, -i, n.": stratum, lectum, in quo reclinas vel dormis
Aequo, -are: homines omnes pariter aestimo tracto
Convictor, -is, m.: quocum vesceris manducas vel edis ad mensam
Puto, -are: cogito
Constat: Si aliquid tibi nummis constat X, X nummos dare debes ut id accipias
Scilicet: certo, indubie
Gula, -ae: desiderium ciborum, appetitio (-onis, f.)
Tempero, -are: modero
Onerosus, -a, -um: ponderosus
Communicare: participare, partire. Si aliquid cum aliis comunicas, non tu solum sed et alii eodem utuntur.
Redigo, -ere: reduco
Parco, -ere: minime consumo si possum; quam minime consumo
Aliquanto: (adverbium) non paulum, non nihil, non minime
Continentia, -ae, f.: moderatio, -onis, f.
Contumelia, -ae, f.: iniuria, -ae, f.
Consulo, -ere: consilium capio
Quorsus: vel "quorsum": quo? Quem in locum?
Indoles, -is, f.: ingenium, natura
Species, -ei, f.: forma
Frugalitas, -atis, f.: parsimonia, sordes
Convenit: prodest, benefacit
Quotiens: (adv.) quam saepe
Praemoneo, -ere: antea moneo, aliquid alicui antea dico, ut caveat
Sordes, -is, f.: cf. frugalitas, *vide supra*
Iungo, -ere, -nxi, -nctus: conecto, -ere, -nexus, -nexus